



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. IV. An voluntas antecedens salvandi omnes homines sit conditionata,  
& expectans consensum & determinationem voluntatis humanæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

82. Ad tertiam probationem, concessio Antecedente, neganda est Consequentia & paritas. Ratio discriminis est, quia mercator est aliqua persona particularis, quæ solum intendit bonum particulare & utile, non verò bonum commune & generale totius universi; unde si ille posset adhibere media efficacia ad conservationem mercium, imminente tempestate, & ea tamen respuerit, vel negligeret, non teneretur habere voluntatem veram & sinceram de illarum conservatione. Deus autem est causa generalis, & universalis provisor, qui non solum debet intendere & procurare bonum particulare aliquorum hominum, sed etiam bonum generale totius universi, & permittere quòd aliqua creatura deficiat, & frustrantur suo fine: quare licet non conferat omnibus media efficacia ad salutem, habet tamen veram & sinceram voluntatem illos salvandi, quamvis inefficacem & conditionatam, modo infra explicando.

83. Obijcies ultimò: Voluntas signi non est formaliter in Deo, sed solum metaphoricè: Atqui voluntas antecedens salvandi omnes homines, est voluntas signi: Ergo non est in Deo formaliter. Major constat ex supra dictis: Minor probatur ex D. Thoma opusculo de præscientia & prædestinatione cap. 6. ubi ait: *Deus dicitur velle aliquid dupliciter: uno modo propriè, & sic dicitur velle aliquid cujus voluntas verè in eo est, quod sibi complacet; & hoc dicitur voluntas beneplaciti, quæ semper in omnibus infallibiliter impletur, & de hac loquitur Scriptura Isaiæ 46. Omnis voluntas mea fiet. Alio modo dicitur velle aliquid metaphoricè, id est per similitudinem, eo quòd ad modum volentis se habet, in quantum precipit, consulit, prohibet, vel permittit aliquid; & hæc dicitur voluntas signi, quæ non semper impletur, de qua dicit Apostolus 1. ad Timot. 2. qui vult omnes homines salvos fieri, cum tamen omnes salvi non fiant, sed multi damnentur.*

84. Respondeo concessa Majori, negando Minorem: ad cujus probationem, in primis dico opusculum illud non esse D. Thomæ: quod mihi suadent tria. Primum est, illud inter alia opuscula non inveniri. Secundum, in Romana editione, quæ aliis est præferenda, tale opusculum in illius operibus non haberi. Tertium, quia D. Thomas sibi manifestè contradiceret, cum apertissimè doceat locis supra relatis, voluntatem de salute omnium hominum, non esse voluntatem signi, sed beneplaciti.

85. Secundò responderi potest, talem voluntatem referri posse, vel ad voluntatem signi, vel ad voluntatem beneplaciti, secundum diversas considerationes. Prout enim denotat actum divinæ voluntatis formaliter in Deo existentem, voluntas beneplaciti dicitur: quatenus verò aliquo signo exteriori manifestatur, voluntas signi appellatur: ut explicat S. Doctor super caput 1. Epist. ad Timot. lect. 1. his verbis: *Velle ponitur quandoque pro voluntate beneplaciti, quandoque pro voluntate signi. Pro voluntate signi vult salvare omnes, quia omnibus proposuit salutis præcepta, consilia, & remedia. Pro voluntate beneplaciti, sic exponi potest quatuor modis &c.* Unde quando S. Thomas in prædicto opusculo de præscientia & prædestinatione asserit quòd voluntas illa, quæ Deus vult omnes homines salvos fieri, est voluntas signi; per hoc non excludit, quin sit etiam voluntas beneplaciti: nihil enim prohibet

A (ut supra ex eodem sancto Doctore ostendimus) Art. 1. de eodem secundum diversas considerationes, §. 3. esse voluntatem beneplaciti & signi.

## ARTICVLVS IV.

*An voluntas antecedens salvandi omnes homines sit conditionata, & expectans consensum & determinationem voluntatis humanæ?*

86. Partem affirmativam tenent communiter Recentiores cum Molina, asserentes voluntatem Dei antecedentem, dici conditionatam, eo quòd dependeat à consensu liberi arbitrij, tanquam à conditione quam expectat, & ex cuius defectu redditur inefficax, ac frustratur suo effectu.

Addunt aliqui, quòd si Deus voluntate absoluta & per se efficax, vellet salvare homines, eorum libertas destrueretur, quia ex illa inducitur necessitas antecedens, libertati contraria. Unde Petavius Tomo 1. libro 10. cap. 3. doce, Deum erga omnes homines quadam voluntatis propensione ferri, ut eos salvos ac beatos velit, & quidem efficaci quantum est ex se, non autem absolute & conditionis experte voluntate, sed ad talem conditionem implicata, si & ipsi consentire vulerint.

Hæc tamen sententia, & hic modus explicandi voluntatem antecedentem, displicet omnibus D. Augustini & S. Thomæ Discipulis, qui cum utroque sancto Doctore constantissimè asserunt, voluntatem Dei esse de se efficacem; illamque non expectare, sed causare consensum & determinationem liberi arbitrij creati, ut fusè ostendemus disputatione sequenti, ubi agemus de divinorum decretorum efficacia & causalitate.

## §. I.

*Conclusio negativa statuitur, & variis auctoritatibus & rationibus suadet.*

87. Dico igitur, Voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, non dici conditionatam, ex eo quòd pendeat à consensu voluntatis humanæ, tanquam à conditione quam supponat, vel expectet à libero arbitrio: Sed quia importat actum conditionatum, quòd Deus vellet salutem omnium hominum, nisi hoc repugnaret ordini suæ providentiæ, & nisi ex hoc impediretur bonum universale suæ justitiæ, & manifestatio suorum attributorum.

Conclusio sic explicata probatur primò ex D. Thoma supra relato in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ad 2. ubi ait: *Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* Quibus verbis apertè docet voluntatem antecedentem non dici conditionatam, eo quòd pendeat tanquam à conditione, à consensu & determinatione liberi arbitrij, ut asserunt Recentiores, sed ex eo quòd attingat suum objectum, scilicet salutem hominum, ut præcisam à circumstantiis particularibus: manifestatione scilicet suæ justitiæ, pulchritudine universi &c. quia illam vellet, nisi tales considerationes obtarent. Idem docet in 1. ad Timoth. cap. 2. lect. 1.

Probatür secundò conclusio ex Augustino 4. contra

contra Julianum cap. 8. & in Enchiridio cap. 25. & 27. ubi ait: *Multi salvi non fiunt, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, quod absque ulla controversia manifestatur in parvulis.* Quibus verbis non solum clarè docet nostram conclusionem, sed etiam efficacem insinuat rationem ad illam demonstrandam. Nam voluntas antecedens (ut communiter docent Theologi contra Vazquem) comprehendit non solum adultos, sed etiam parvulos sine baptismo decedentes: Sed talis voluntas, prout se extendit ad parvulos, non potest dici conditionata, si ipsi velint, ut constat, cum illi non habeant usum rationis & liberi arbitrij. Nec etiam si parentes eorum velint eos baptizari, aut eorum baptismo non ponant impedimentum. Tum quia baptismus, pueris in utero materno decedentibus, humanà diligentia applicari non potest, cum in tali statu non possint subijci operationi ministroꝝ Ecclesiæ, ut docet S. Thomas 3. p. qu. 68. art. 11. Tum etiam, quia ut ait Augustinus de dono persever. cap. 12. *Quid dicam quod parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit expirat: plerumque enim festinantibus parentibus, & parvis ministris, ut baptismus parvulo deur, DEO TAMEN NOLENTE NON DATVR.* Et libro 6. contra Julian. cap. 5. *Aliquando (inquit) adoptat in filium, quem format in utero immundissima femina; & aliquando NON VVLT esse filium suum, quem format in utero filia sua. Ille quippe ad baptismum nescio qua provisione pervenit, iste repentinà morte non pervenit. Atque ita Deus in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in diaboli domicilio; & NON VVLT esse in regno suo, quem formavit in templo suo.* Similia habet Epist. 105. & 107. de gratia & libero arbitrio cap. 22. de natura & gratia cap. 28. & alibi: Ergo &c.

89. Probatur tertio conclusio: Quia Pelagius in commentario horum verborum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, eodem modo illa exponit quo Recentiores: ait enim, *Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint.* Eandem interpretationem adhibebat Julianus ejus Discipulus, ut refert D. Augustinus libro 4. contra eundem Julianum cap. 8. his verbis, *Sed ponis apostolicum testimonium, & ab eo dicis pulsantibus aperiri, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ut videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideo non omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare; nolunt querere, cum Deus velit ostendere; nolunt pulsare, cum Deus velit aperire.*

Idem docebant Semipelagiani, ut colligitur ex Epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum, & fateretur Petavius de Theol. dogm. Tomo 1. libro 9. cap. 16. his verbis, *Petrus Diaconus in Epistola ad Fulgentium de Incarnatione & gratia Christi, Semipelagianorum rationem refellit, aientium Deum velle omnes homines salvos fieri, sed eorum voluntate fieri ut non salventur.* Unde Beatus Remigius Archiepiscopus Lugdunensis, in libro de tribus Epistolis, postquam tres expositiones quas adhibet Augustinus prædictis verbis Apostoli retulit, loquens de quarta, quæ est Damasceni, sic ait: *In quarto autem modo illud sine dubio cavendum est, quia & occasionem Pelagianæ pravitate præbet; quæ Deum ut salvet homines, humanas*  
Tom. I.

A *expellere asserit voluntates.* Idem asserit Magister sententiarum in 1. dist. 46. ubi dicit quod occasio horum verborum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri, multi à veritate deviaverunt, dicentes Deum multa fieri velle quæ non fiunt.*

Respondent Adversarij: Pelagianos & Semipelagianos in hoc errasse, quod assererent omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, voluntate naturali, & præcedente gratiam: esse autem Catholicam doctrinam, asserere Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint voluntate præparatâ per gratiam; quamvis talis gratia subdatur libero arbitrio, quantum ad efficaciam & usum, & illius applicationem & determinationem expectet, ut in actum determinatum exeat.

Sed contra primò: Pelagius in tertio saltem statu suæ hæresis, admisit gratiam internam illuminantem, & moraliter excitantem, ut aperte colligitur ex Augustino in libro de gratia Christi capite 7. ubi sic Pelagium loquentem inducit: *Adjuvat enim nos Deus, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne presentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono GRATIÆ COELESTIS ILLUMINAT.* Et capite 10. ejusdem libri ait idem Pelagius: *Operatur Deus in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium, tantummodo presentia diligentes, futura glorie magnitudine, & premiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientie in desiderium Dei, stupentem suscitât VOLUNTATEM.* Dum nobis (quod tamen alibi negare non metuit) *SVADET omne quod bonum est.* Ergo quando Pelagius & Julianus dicebant, velle Deum omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, aut consentiant, non loquebantur de volitione aut consensu merè naturali, & præcedente omnem gratiam, saltem interius illuminantem, & moraliter excitantem, qualem solum admittunt Adversarij; sed de volitione & consensu qui erat à voluntate sub gratia constituta, non tamen ab illa applicata & determinata. Quod adhuc evidentius est in Semipelagianis, ut colligitur ex D. Prospero in Epistola ad Augustinum, versis finem: ubi Pelagianorum sententiam referens, sic ait: *Par omnium invenitur & una sententia, quæ prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumelie fecerit, quia sinem uniuscujusque præviderit, ET SVB IPSO GRATIÆ ADIVTORIO, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Ecce voluntatem, seu voluntatis determinationem & consensum prævisum, non sine auxilio Dei, sed sub ipso gratiæ adjutorio, positum à Semipelagianis, quamvis non ab ipso causarum.

Secundò, Dato etiam & non concessio, quod Pelagiani & Semipelagiani intelligerent hæc verba Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, si ipsi velint, voluntate merè naturali, & per gratiam nullatenus præparatâ; hoc tamen non solum in eis reprehendebant Sancti Patres, sed præcipue hoc in eis damnabant, quod dicerent, Deum ita velle omnes homines salvos fieri, quod per voluntatem creatam poterat frustrari & impedi divina: Sed hoc idem asserunt Adversarij: Ergo ab illis totaliter non discedunt. Minor constat, Major autem probatur ex verbis Petri Diaconi,  
H h

90.

91.

92.

& Magistri sententiarum supra relatis: ait enim Magister, quòd occasione horum verborum Apostoli, multi à veritate deviaverunt; dicentes Deum multa fieri velle qua non sunt. Idem colligitur ex Augustino in Enchiridio cap. 103, ubi postquam prædicta Apostoli verba exposuit secundum distributionem accommodam, vel incompletam, addit: Illa quocumque alio modo intelligi possent, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse. Item beatus Remigius loco supra citato ait, Hanc sententiam Apostoli, Deus vult omnes homines salvos fieri, fideliter posse recipi, si hanc voluntatem bonitatis suae erga salutem hominum, non credatur humana obssistente voluntate implere non posse. Et addit: Quid ergo restat, nisi ut ille qui omnia quaecumque voluit, fecit, ideo hoc non faciat, quia noluit, non quia non possit? quia sicut verè omnia que voluit, fecit, ita verè noluit qua non fecit: quos ergo voluit salvare salvavit, quia omnia quaecumque voluit, fecit. Denique Lupus Servatus de tribus quaestionibus quaest. 2. de Prædestinatione, sic habet: Quod venerabilis Paulus ait, qui vult omnes homines salvos fieri, non sic accipiendum est, quasi cum Deus velit generaliter omnes fieri salvos, quibusdam impediens impotentissimis, non valeat omnipotentissimus implere quod velit; sed ita potius, quod illis sive volentibus sive nolentibus (nam plures in infantili aetate baptizati, horum non habentes discrimen, mox vitâ excedentes transferuntur ad gloriam) salventur omnes, quoscumque ille salvare voluerit.

93. Quarto probatur conclusio. Deus ut supremus Dominus gloriae, ante prævisa hominum merita & demerita elegit efficaciter quosdam ad gloriam, & voluit alios efficaciter excludere ab illa ut beneficio indebito, ut ostendimus in Tractatu de prædestinatione, constatque ex illis verbis Pauli ad Roman. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* At cum voluntate efficaci excludendi reprobos à gloria ante prævisa eorum demerita, non est compatibilis voluntas conditionata conferendi illis gloriam, sub conditione quòd per ipsos non steterit, ut de se est manifestum: Ergo voluntas antecedens non habet pro objecto gloriam, ut futuram sub conditione quòd homines velint, aut per ipsos non steterit.

94. Quinto suadetur conclusio. Decretum conditionatum, seipso producit effectum, per hoc præcisè quòd purificetur conditio: Sed voluntas antecedens salvandi omnes homines, etiam si poneretur conditio, nempe humana volitio, aut non resistencia liberi arbitrij, non haberet effectum seipsa, absque adjuncta efficaci voluntate Dei: Ergo non terminatur ad gloriam sub prædicta conditione futuram. Major constat, Minor verò in qua est difficultas probatur primò: quia ut exprèsse docet Sanctus Thomas 1. ad Annibaldum dist. 46. quaest. unica art. 2. ad 2. voluntas antecedens non habet effectum, nisi voluntas consequens adjunctatur. Secundo, quia aliàs totum prædestinationis negotium, in purificatione illius conditionis consisteret, & consequenter, per hoc præcisè quòd homines, per liberum voluntatis consensum, intelligerentur determinare voluntatem illam antecedentem & conditionatam, prædestinati intelligerentur, & à reprobis discreti; & sic prædestinatus seipsum à reprobo discerneret, contra illud Pauli, *Quis enim te discernit?* Item præde-

Astinatio electorum non esset providentia specialis ordinis supernaturalis, sed ad generalem, per quam Deus omnes homines ad finem supernaturalem elevavit, & media sufficientia ad illum consequendum preparavit, reduceretur: quae falsa sunt, & erronea, ut in Tractatu de prædestinatione constabit.

Denique probatur conclusio: Cum homines non possint velle salutem, nisi Deus velit eos velle, & nisi in eis operetur ipsum velle, ut docet Apostolus ad Philippenses 2. & Augustinus in Solil. cap. 24. dicens: *Velle quòd bonum est non possum, nisi tu velis*, implicat quòd in Deo sit decretum, aut volitio salvandi homines, dependens tanquam à conditione, à consensu & volitione hominum, illamque ab humana voluntate expectans. Unde Ecclesia Lugdunensis in libro de defensione veritatis Sacrae Scripturae: *Cerè illud in hac quaestione manifestum est, quòd etiam si generaliter & indifferenter, omnes homines Deus vult salvos fieri, in aliorum tamen cordibus, benignitate misericordiae suae, ipse operatur eandem voluntatem suam, ut & ipsi salvari velint, & salventur: qualibus & Apostolus dicit cum timore & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim qui operatur in nobis & velle & persicere pro bona voluntate. In aliorum autem cordibus, severitate insti & occulti iudicij sui, non operatur hanc salutarem voluntatem, sed dimittit eos in suo arbitrio, ut quia noluerunt credere, iustâ volitione damnentur.*

## §. II.

Præcipuum Adversariorum fundamentum convellitur.

Contra istam conclusionem obijciunt Adversarij: Deus non salvat homines nisi velint, & suae gratiae & vocationi liberè consentiant: juxta illud Augustini: *Qui creavit te sine te, non salvavit te sine te*: Ergo voluntas salvandi omnes homines dependet à volitione liberi arbitrij, tanquam à conditione quam Deus à voluntate humana expectat. Quod potest confirmari ex verbis Ambrosij, qui exponens hunc locum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri, ait: Deus vult omnes salvos fieri, si accedant ad ipsum: non enim sic vult salvare, quòd nolentes salventur, sed vult salvare si ipsi velint.*

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Licet enim Deus non salvet homines, nisi volentes, & suae vocationi liberè consentientes, hanc tamen liberam volitionem & consensum non expectat, nec emendicat, ut ita loquar, ab humana voluntate, sed illum intus in corde hominis per suam gratiam in prædestinatis infallibiliter operatur, applicando voluntatem illorum ad liberè consentiendum gratiae vocanti & moraliter excitanti. Quare diligenter observandum est, quòd quando dicimus, voluntatem quam Deus habet salvandi homines, non dependere tanquam à conditione, à consensu seu volitione hominis, per hoc non intendimus negare liberum hominis arbitrium Deo consentire, & liberè cooperari ad suam iustificationem & salutem (hoc enim de fide certum est, & definitum in Tridentino contra impium Lutherum, dicentem in iustificatione liberum arbitrium non cooperari Deo moventi & excitanti, sed merè passivè se habere, recipiendo motum à solo Deo productum) sed solum

contendimus, Deum talem consensum ab humana voluntate non expectare, vel supponere, sed illum per suam gratiam preparantem & applicantem, intus in corde hominis efficere, ut clarè explicat & docet Augustinus Epistola 107. ubi sic habet: *Quapropter ut in Deum credamus & p̄d vivamus, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; non quia velle non debemus & currere, sed quia ipse in nobis, & velle operatur & currere.* Et de dono persever. cap. 13. *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate: hoc nobis expedit & credere, & dicere: hoc est p̄m & verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totam Deo.* Idem eleganter docet Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 29. cuius verba retulimus Tractatu præcedenti disp. 6. art. 6. §. 6. ubi videri possunt. Ex quibus patet responsio ad locum Ambrosij: ibi enim solùm intendit explicare consensum & cooperationem liberi abitrij, concurrentis ad justificationem, & salutem hominum, & solùm voluit declarare qualiter Deus salvet homines, non contradicentibus ipsis, neque coactis; ut constat ex illis verbis, *Non enim sic vult salvare, quod nolentes salventur.* Unde quando addit, quod *Deus vult salvare homines, si ipsi velint,* non intendit quod Deus expectet voluntates hominum, ut dicebant olim Semipelagiani; sed quod vult illos salvare si velint, non coactè, sed liberè, & spontaneè: ut enim ait Augustinus libro 1. ad Bonifacium cap. 19. *Deus novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

ARTICVLVS V.

*An per voluntatem antecedentem præparentur homini, in statu nature lapsæ media, seu auxilia ad salutem sufficientia?*

§. I.

*Proponitur status questionis, & pars affirmativa eligitur.*

98. **A**gimus hic solùm de præparatione auxiliorum sufficientium, non autem de actuali collatione, & intrinseca receptione illorum (de hoc enim in Tractatu de prædestinatione dicemus) & solùm inquirimus, an sicut medicus qui aperit apothecam, omne remediorum genus pro infirmitatibus continentem, & omnibus patientem eam ponit, dicitur velle quantum est de se omnes sanare, licet talia remedia omnibus non applicet, imò fortè aliqua ex illis, per accidens alicui vel aliquibus non sint applicabilia; ita etiam Deus ex voluntate illa generali & antecedente, quâ vult omnes homines salvos fieri, pro omnibus præparet aliqua media & remedia, seu auxilia ad salutem sufficientia, quamvis per talem voluntatem illa omnibus non conferat, nec applicet: imò interdum aliqua ex illis non sint proximè applicabilia: ut contingit in parvulis in utero materno decedentibus, quibus Baptismus, quamvis pro illis præparatus, & à Christo institutus, non est proximè applicabilis; quia in tali statu non possunt subijci operationi ministrorum Ecclesiæ, ut docent Theologi cum Magistro in 2. dist. 6. & cum D. Thoma 3. parte quæst. 68. art. 11. Pro resolutione.

Tom. I.

**A** Dico: per voluntatem antecedentem Deum præparare media, seu auxilia, quibus homines sufficienter ordinentur, & promoveantur in vitam æternam. Ita communiter docent Theologi contra Jansenium suprâ citatum, qui asserit voluntatem illam antecedentem salvandi omnes homines, in statu nature lapsæ, esse omnino sterilem & infructuosam, & per illam nullum præparari vel conferri hominibus auxilium sufficiens ad salutem, quamvis in statu innocentia, primis parentibus perutilem fuisse, ab eaque gratiam sufficientem, subditam illorum voluntati, quantum ad usum & efficaciam, processisse fateatur.

**B** Probatum primò conclusio ex D. Thoma in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ubi loquens de voluntate antecedente, dicit: *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo in finem salutis, & promoventia in finem, omnibus communiter propostia, tam naturalia quam gratuita.* Et cap. 12. in Epist. ad Hebræos lect. 3. *Deus, inquit, vult omnes homines salvos fieri, & ideo gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat.* Similiter libro 3. cont. Gent. cap. 159. *Deus quantum in se est paratus est omnibus dare gratia: vult enim omnes homines salvos fieri.* At hæc causalis non valeret, si Deus per voluntatem antecedentem, auxilia ad salutem sufficientia non præpararet: Ergo per talem voluntatem, hujusmodi auxilia præparat.

**C** Confirmatur exemplò mercatoris quò utitur D. Thomas suprâ relatus, ad explicandam voluntatem illam antecedentem, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri. Quis enim dicat mercatorem velle salvare merces, nisi quantum est de se omnem diligentiam sufficientem adhibeat, per quam servari possint, quantumcunque cogatur propter alias causas consequentes, earum conservationem negligere, ne scilicet submergatur navis &c. Similiter etiam, quomodo stare potest, Deum habere veram & sinceram voluntatem salvandi omnes homines, si per talem voluntatem, media & auxilia per quæ salvari possint, eis non præparet: quamvis propter manifestationem suæ justitiæ, & propter alias causas, velit permittere peccata, & pluribus denegare auxilia efficacia, quibus de facto salventur.

**D** Secundò probatur ex D. Prospero cap. 25. de vocat. Gentium, ubi ait: *Sive igitur novissima contemplerur sæcula, seu prima, seu media: ratiōnabiliter & p̄d creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse; & hoc non aliud monstratur, quam de his beneficiis atque providentia Dei, quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit:* Ergo sentit S. Prosper, Deum per voluntatem generalem & antecedentem, quâ desiderat hominum salutem, velle dare seu præparare omnibus auxilia ad salutem sufficientia.

**E** Tertiò probatur conclusio ratione fundamentali, quam insinuat S. Thomas loco relato ex 1. sent. Deus per voluntatem antecedentem ordinat omnes homines in finem salutis: *hujus enim voluntatis effectus, est ipse ordo in finem salutis,* inquit S. Doctor ibidem: Ergo per illam præparat hominibus auxilia ad salutem sufficientia. Consequentiâ patet, cum enim finis non sit consequibilis nisi per media, implicat homines, per voluntatem antecedentem sufficienter ordinari in finem salutis, nisi per talem voluntatem, media & auxilia ad salutem sufficientia præparentur.

Confirmatur: Velle finem sine mediis, est velle

HH h ij